GREGORIUS MAGNUS

Zwettl, 4. Viertel 12. Jh.

Seite 178r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31633
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

quia plenitudinem in illa operis accipiunt, qui ab illa diu vitiorum suorum foeditate perierant. Mille quoque iuga boum ac mille asinas recepit, quia israhelitas atque gentiles doctos ac simplices post temptationum casus in culmine perfectionis assumit. Septem quoque filios et tres filias recepit, quia eorum mentibus quos septem virtutibus generat, ad perfectionis summam spem fidem caritatem que coniungit, ut tanto verius proles sua gaudeat, quanto suis fidelibus nil deesse virtutis pensat. Sed quia haec succincte transcurrimus, nunc ipsis quoque indagandis filiarum vocabulis intendamus. Sequitur. Et vocavit nomen unius diem, et nomen secundae cassiam, et nomen tertiae cornustibii. Haec nomina pro eo quod a virtutibus sumpta sunt apte curavit interpres non ea sicut in arabico sermone inventa sunt ponere, sed in latinum eloquium versa aptius demonstrare. Quis enim nesciat diem vel cassiam latina esse vocabula? At vero in cornustibii quamvis non cornus sed cornu dicitur, nec cantantium fistula tibium sed tibia vocatur, in latina tamen lingua sermonis genere immune custodito rem perdere maluit, atque in eius linguae de qua transferebat proprietate perdurare. Vel quia per cornu et tibiam unum verbum ex utroque compositum, utrumque verbum per unam orationis partem in latina lingua transfusum, quo voluit genere licite vocavit. Quid est ergo quod prima filia beati Iob dies dicitur, secunda cassia, tertia vero cornustibii vocata memoratur, nisi quia universum genus humanum quod benignitate conditoris atque eiusdem misericordia redemptoris eligitur, istis nominibus designatur? Homo namque quasi dies ex conditione claruit, quia hunc auctor suus ingenitae innocentiae splendore respersit; sed sponte sua ad peccati tenebras lapsus, quia veritatis lucem deseruit, quasi in nocte se erroris abscondit, qui alias dicitur secutus umbram. Sed quia auctori nostro non deest largitas bonitatis suae, etiam contra tenebras iniquitatis nostrae eum quem prius ~~ad~~ potentem ad iustitiam condidit, potentius redimendo post modum ab errore revocavit. Cui quia post casum suum illa conditionis suae pristina firmitas defuit, eum contra bella intima repugnantis corruptionis multiplicibus donorum suorum virtutibus fulcit. Quae nimirum virtutes proficientium in notitia ceterorum hominum quasi suavitate flagrant odorum. Hinc est enim quod per paulum dicitur: Christi bonus odor sumus deo. Hinc est quod sancta ecclesia in electis suis quandam fragrantiam suavitatis odorata, in canticorum cantico loquitur dicens: Donec rex in accubitu suo est, nardus mea dedit odorem suum. Ac si aptius dicat: Quousque meis obtutibus rex aperit se in requie secreti caelestis absconditur, electorum vita miris virtutum odoribus exercetur, ut quo adhuc eum quem appetit non videt, ardentius per desiderium flagret. Regi quippe in recubitu suo posito nardus odorem dat, dum quiescente in sua beatitudine domino sanctorum virtus in ecclesia magnae nobis gratiam suavitatis administrat. Una ergo et conditum innocentiae luce claruit, et redemptum genus humanum exercitio bonorum operum odore suavitatis aspersit. Et prima filia recte dies, et secunda non incongrue cassia nominatur. Bene autem cassia dicitur, quae in tantum sublimis vitae dilatatur odore. In ipsa quippe sua origine in qua iustus homo conditus fuerat, tantis quantis nunc opus est virtutibus non indigebat, quia si stare sicut conditus est vellet, hostem extra positum vincere sine difficultate potuisset. Postquam vero per assensum hominis semel adversarius ad